

ANDREAS SAMPERS

NOMINATIO ET FACULTATES PATRI PASSERAT

A S. CLEMENTE COLLATAE, an. 1803

Iosephus Amandus Constantinus Passerat (1) iam a tempore noviciatus magni aestimabatur a S. Clemente propter orationis spiritum ac virtutis studium dotesque ingenii. Die 31 dec. 1796, paulo post quam Fr. Passerat professionem emiserat (13 XI 1796), Vicarius generalis misit vota sua et suorum Rectori Maiori Blasucci, addens notitias de iunioribus communitatis membris (2): « Inter alumnos professos, licet quidem singuli optimae sint spei, praececellunt tamen nonnulli alios. Inter quos nominatim recenseo R. Fr. Ios. Aman. Passerat, Ioan. Podgórski (3), Petr. Franc. Mercier (4), Nicol. Le Noir (5), Adalb. Schroetter (6), eximie de pietate, observantia regulari et scientiis meritos, quorum tres priores altioris perfectionis gradum scandere refero ». Fr. Passerat enumeratur inter meliores primus.

Anno sequenti sacerdotio initiatus (15 IV 1797), paulo post ad institutionem religiosam iuniorum fratrum designatus est (7), sicuti legimus in epistula diei 22 iulii 1799, in qua S. Clemens denuo laudes praedilecti sui discipuli Superiori generali nuntiat: « R. P. Ios. Constantinus Passerat, qui novitiorum Magister et studentium Praefectus est, eximiae virtutis et vitae sanctimoniae vir est » (8).

(1) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 2 (1954) 265 n. 125.

(2) *Monumenta Hofbaueriana* [deinceps allegabuntur: MH] VIII, Torún 1936, 61.

(3) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 2 (1954) n. 131 et 7 (1959) 131-150.

(4) MERCIER Petrus Franciscus; * 1771 vel 1772 Amiens, France; *vest.* 22 VII 1796 et *prof.* 13 XI 1796 Warszawa; *sac.* 15 IV 1797 Warszawa; † initio II 1804 Warszawa. - Cat. XIII 2 n. 22; HOFER, *Der hl. Klemens*, Freiburg/Brsg. 1923, 101-103, 165; [J.-B. LORTHIOIT], *Mémorial alphonstien*, Tourcoing 1929, 81; cfr MH VIII 269 et XV 191 (Index).

(5) LENOIR Nicolaus; * 1774 Amiens, France; *vest.* 22 VII 1796 et *prof.* 13 XI 1796 Warszawa; *sac.* 10 VI 1797 Warszawa; † 22 III 1801 Warszawa. - Cat. XIII 2 n. 5; HOFER, *Der hl. Klemens*, Freiburg/Brsg. 1923, 101-103; [J.-B. LORTHIOIT], *Mémorial alphonstien*, Tourcoing 1929, 144-145; MH I 83 not. 2, VIII 269 et XV 189 (Index). - NB. Sacerdotii ordinem recepit eodem die (10 VI 1797) ac P. Podgórski (MH VIII 269); errant ergo HOFER 103 (15 IV 1797) et LORTHIOIT 145 (10 XI 1797).

(6) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 7 (1959) 128.

(7) Videtur Magister novitiorum nominatus esse an. 1798. In relatione enim diei 25 IV 1800, quam S. Clemens Curiae episcopali in Warszawa de statu sui Instituti praesentavit, dicitur: « Joseph Passerat ... Docet moralem et dogmaticam et exercet munus Magistri novitiorum ab annis 2 ». - MH IV 147.

(8) MH VIII 65.

Vicarius tamen et Magister inter se dissentiebant de gestione vitae spiritualis in conventu S. i Bennonis, et ita quidem ut P. Passerat Exc. mo Litta, Nuntio apostolico in Russia, occasione transitus per urbem Warszawa, secreto suas querelas patefecerit, rogans ut Rectori Maiori transmitterentur. Hac dissensione non obstante, S. Clemens eidem Litta de sua aestimatione pro P. e Passerat locutus est, sicuti Litta in epistula diei 11 ian. 1800 P. i Blasucci scripsit: « E' questi il maestro de' novizj della casa stessa, ed è soggetto di molta pietà di cui ho udito degli elogj dallo stesso superiore » (9). - Officium Magistri P. Passerat retinuit per totum tempus quod in Warszawa transegit (10).

Pace in Europa reconstituta (Lunéville 1801, Amiens 1802), S. Clemens denuo (11) cogitavit de condendo collegio in Germania, praesertim ad receptionem et meliorem formationem candidatorum Congregationis. Iam an. 1802 mediatoribus Nuntio apostolico Severoli (12) et amico suo Ludovico Virginio in Wien tractationes inchoavit cum Principe Schwarzenberg pro fundatione in Jestetten (13), et, obtenta concessione, die 11 nov. 1802 cum P. e Thaddeo Hübl (14), clerico Franc. Hofbauer (15) et novicio Ioan. Sabelli (16) ex Warszawa profectus est in Germaniam (17). Postquam in Wien cum Nuntio de rebus Congregationis tractaverat, in urbe Konstanz, ubi die 27 dec. advenit (18), adivit Vicarium generalem Wessenberg, qui Sanctum humanissime excepit eique facultates necessarias pro exercendo ministerio sacerdotali libenter concessit (19). Die tandem 30 dec. ad domum destinatam pro nova fundatione, in monte Tabor prope Jestetten, advenit (20).

Post aliquot menses, primis difficultatibus novae fundationis feliciter superatis, ita ut sufficientem certitudinem de eius stabilitate acquisivisset, advocavit P. em Passerat, « ut Magistri novitiorum munus, quod Varsaviae per aliquot annos praeclarissime administraverat, hic exerceat, cum Varsaviae aliquoquin officium istud pro nunc inutile sit » (21). - Litteris commendaticis ab Ordinario de Warszawa ei die 17 iunii 1803 datis (22), P. Passerat statim

(9) MH VIII 203.

(10) Cfr MH VIII 110.

(11) An. 1797-1798 S. Clemens in Helvetia et Germania de condendo collegio tractavit sed frustra. - Cfr HOFER, *Der hl. Klemens*, Freiburg/Brsg. 1923, 103-108.

(12) Antonius Gabriel SEVEROLI, Nuntius apostolicus apud Imperatorem ann. 1801-1816, Cardinalis creatus die 8 III 1816. - Cfr G. DE MARCHI, *Le nunziature apostoliche dal 1800 al 1956* (= *Sussidi eruditi* 13), Roma 1957, 45.

(13) Cfr MH V 1 ss.

(14) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 7 (1959) 118 n. 2.

(15) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 9 (1961) 139 n. 3.

(16) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 2 (1954) 297-300.

(17) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 160; HOFER, *o. c.* 150, dicit S. Clementem solum P. em Hübl huius itineris comitem habuisse.

(18) MH V 11; HOFER, *o. c.* 153.

(19) *Ibidem*.

(20) MH V 11; HOFER, *o. c.* 155. *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 160: « exeunte decembri ».

(21) MH VIII 110. - Epistula S. i Clementis ad P. em Passerat deperdita esse videtur.

(22) Textus litterarum in versione francogallica apud H. GIROUILLE CSSR, *Vie du vén. Père Joseph Passerat*, Paris 1924, 64.

profectus est cum clerico Casimiro Langanki (23) et die 2 iulii (24) in montem Tabor advenit (25).

Mox plures candidati in Jestetten venerunt (26), et, postquam S. Clemens et P. Passerat iter « recognitionis » in Franciam fecerant (27), die 22 aug. noviciatus incepit cum duobus noviciis (28), sacerdote Iosepho Hofbauer (29) et fratre laico Norberto Spitznagel (30); itaque P. Passerat munus ad quod exercendum vocatus erat aggressus est.

Chronica Domus Friburgensis (31) nos edocet, eum insuper brevi post adventum Rectorem domus constitutum fuisse, quin tamen tempus huius deputationis accurate indicetur. Diploma originale (32) nominationis diei 14 sept. 1803 (33) invenimus in Archivo nostro generali, et, uti documentum originale S. i Clementis ineditum, hic publicamus. Est etiam aliud testimonium aestimationis Vicarii generalis pro P. e Passerat, quippe qui eum non solum ad domum regendam — unicam extra collegium in Warszawa — deputavit, sed insuper adeo amplas facultates ei impertivit, ut eum quodam modo Vicarium suum pro negotiis Congregationis in Germania constituerit (34).

(23) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 7 (1959) 125-126.

(24) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 161; MH V 35 not. 1 et VIII 110 not. 4. - GIROUILLE, o. c. 64, HOFER, o. c. 162 et KUNTZ, *Commentaria* (ms in Bibl. AG) XV 17 dicunt P. em Passerat die 22 VII in Jestetten advenisse, sine fontis indicatione.

(25) Secundum HOFER, o. c. 162, cum P. e Passerat venerunt etiam Franc. Hofbauer et Ioan. Sabelli. Ex *Chronica Domus Friburgensis* tamen desumimus eos cum S. o Clemente et P. e Hübl iter a Warszawa in Germaniam fecisse. - Cfr supra notam 17.

(26) Die 21 VII S. Clemens scripsit Nuntio Severoli: « Communitas nostra hic loci iam 9 individuis componitur, et infra paucas septimanas saltem ad numerum 13 vel 15 personarum accrescet ». - MH IV 2.

(27) De hoc itinere, cuius paucae tantum notitiae nobis prostant, cfr GIROUILLE, o. c. 66-68; HOFER, o. c. 162-163. - Vide etiam MH VIII 155.

(28) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 161; MH XV 98.

(29) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 9 (1961) 139 n. 5.

(30) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 9 (1961) 141 n. 23.

(31) In MH VI 161.

(32) Diploma scriptum est a P. e Hübl, qui ut secretarius 2º loco subscripsit; S. Clemens m. p. subscriptionem suam apposuit.

(33) Annus ex atramenti macula difficilis lectu evasit; manus posterior (cuiusdam archivista, ut videtur) a tergo notavit: « 14º sept. 1805 ». - Anno 1805 S. Clemens denuodegit in Germania (a mense IX 1804; cfr MH VI 158 et 162), sed P. Hübl in Polonia remansit. Insuper rerum conditioni mensis sept. 1805 non convenit quod in diploma habetur: « cum rationum muneris nostri nos longe dissitas in regiones avocet »; usque ad mensem aug. an. 1806 enim S. Clemens in Germania meridionali remansit (HOFER, o. c. 194; MH VI 166), difficultatibus domorum in Jestetten, Triberg et Babenhausen quantum potuit providens, et fine oct. 1805 ipse suos ex Jestetten in Babenhausen avocavit (HOFER, o. c. 175; MH VI 164, V 57; Proc. Beatif. P. is Passerat. *Positio super Introductione Causae*, Romae 1901, *Summarium* II p. 15 § 23).

(34) Ex alio documento, post iter romanum S. i Clementis confecto, quod infra transcribetur, elucet, facultates speciales die 14 IX 1803 impartitas esse P. i Passerat non solum intuitu absentiae Vicarii generalis tempore itineris in Italiam, sed ratione distantiae habitus eius residentiae quae erat in Warszawa.

Johannes Clemens Maria Hofbaur
Congregationis Sanctissimi Redemptoris per Germaniam et Poloniam
Vicarius Generalis

Perspectae nobis tuae prudentiae zeli que in observantia regulari causa Te Reverendum Dominum Iosephum Const. Passerat, Congregationis nostrae SS.mi Redemptoris alumnum professum et sacerdotem, in Rectorem familiae ejusdem nostrae SS.mi Redemptoris Congregationis Jestettae in Comitatu Kletgaviensi in Suevia existentis, et ubicunque locorum deinceps exstiturae, secundum ejusdem nostrae Congr. praescriptum nominamus et instituimus, cum omnibus facultatibus et juribus quae ex nostris Constitutionibus tuo muneri competunt; insuper cum ratio muneris nostri nos longe distat in regiones avocet, Tibi facultates et jura delegamus et impertimus, per quae valeas tuam alio familiam transferre; nova pacta ad hoc necessaria inire; legata accipere; ubique novitios recipere ad hoc ut tirocinium peragant; quo peracto eorumdem vota recipere eosque litteris dimissorialibus munitos ad ordinationes sacras mittere valebis. - Mandantes omnibus et singulis Tibi traditae familiae individuis, ut sic Te per nos nominatum, institutum et deputatum agnoscant et venerentur, semper usquedum per nos aliter provideatur.

Datum in Collegio nostro Jestettensi, 1803 die 14^{ta} Septembris

Joh. Clemens Mra: Hoffbauer CSSR

L+S

Thaddeus Hübel

Secretarius Vicarii Generalis CSSR

Ex die quo documentum subscriptum est, die scil. 14 IX, deducimus S. Clementem non iam die 24 VIII in Italiam profectum esse, uti generaliter affirmatur (35). Duo huius affirmationis habentur fontes: 1^o *Chronica Domus Friburgensis* (36), quae tamen pro eventibus, qui hoc tempore acciderunt, ex diversis notitiis scriptis, sed praesertim ex memoriis ac testimoniis seniorum Patrum multos annos postea (37) congesta fuit (38); 2^o epistula S. i Clementis ad Superiorem generalem diei 23 aug. 1803, in qua dicit « pro die crastina ad iter romanum accingere me ... decrevi » (39); rationibus vero nobis ignotis iter in posterum differre coactus esse potuit (40). - Supponi licet diem subscriptionis documentum cum die professionis S. i Clementis coincisisse; id quod facile intellegitur tamquam rationalis coniectura, cum Vicarius generalis usque ad recessum suum sine dubio ipse parvae domui,

(35) HOFER, o. c. 163; GIROUILLE, o. c. 68; KUNTZ, o. c. 71.

(36) In MH VI 161.

(37) Domus in Freiburg an. 1828 tantum incepit; ann. 1818-1825 existebat collegium CSSR in Valsainte. - Cfr Th. LANDTWING, *Die Redemptoristen in Freiburg in der Schweiz* (= *Bibliotheca Historica CSSR II*), Roma 1955, 23-31.

(38) Vide ea quae ex praefatione ipsius *Chronicae* notantur in MH VI 160.

(39) MH VIII 112.

(40) Pro hypothesis, quod diploma confectum est ante diem 24 VIII, sed cum appositione diei posterioris (Postdatierung), ex.gr. ex veneratione S. Crucis Domini cuius festum die 14 IX colitur, non inveniuntur rationes convincentes; haec hypothesis tamen nec omnino excludi posse videtur.

quam nuper fundaverat, immediate praefuerit, nec tam amplas facultates, sibi a Superiore generali concessas, quamdiu ipse praesens alii cuidam communicaverit.

Ultimis mensis septembris diebus Urbem ingressus (41), mox ad audientiam pontificiam admissus est, certo ante diem 2 oct. (42); et in audientia diei 3 oct. (43) Secretario S. Congregationis de Propaganda Fide concessa, precibus S. i Clementis annuens, Papa facultatem dedit, ut Congregati Vicario generali subditi a quocumque episcopo ritus latini ordinari possent (44).

Reversus in Jestetten die 15 XI (45), quin iter exoptatum in Pagani perficere potuisset, S. Clemens documentum confecit attestans hoc novum privilegium adiungi debere facultatibus iam ante iter romanum P. i Passerat delegatis; quam attestationem, cuius originale (46) in Archivo Prov. Lugdunensis asservatur, nunc exscribimus (47). Documento non est appositus nec locus nec dies, sed sufficienter probari potest, id exaratum esse in Jestetten spatio 7 dierum (48), per quos S. Clemens ibi commoratus est (49).

Praesentibus paucis his litteris testificatur, inter caeteras facultates et privilegia a me infra scripto R. do P. Passerat, Rectori Cong. SS. mi Red., jam pridem delegatas, illud etiam contineri privilegium, quod SS. us D. nus Noster Pius PP. VII ex audientia die 3^a Octobris 1803 habita benigne indulsit; cujusve tenore omnes ejusdem Congregationis alumni professi, qui mihi subsunt, cum litteris dimissorialibus ordinari possint, a prima tonsura usque ad presbyteratum inclusive, a quocumque Episcopo latini ritus gratiam et communicationem S. Sedis habenti, quibuscunque contrariis non obstantibus. Hujus privilegii originale in manibus meis extat.

Clemens Maria Hoffbauer CSSR
Congr. SS. Redem. Vic. Gen.

(41) Die 27 IX epistulam direxit ex Roma ad Superiorem generalem in Pagani, editam in MH VIII 113-114.

(42) In epistula diei 1 X 1803 Card. Litta Nuntio Severoli scripsit: « Il S. Padre si è degnato di ascoltarlo con piacere, e gli ha accordato delle grazie speciali ». - MH V 34.

(43) HOFER, o. c. 163, affirmat S. Clementem die 3 X ad audientiam admissum esse, sine fontis indicatione, probabiliter diem commutans cum die audientiae Secretarii S. C. de Prop. Fide.

(44) Textus documenti invenitur in MH III 90-91 n. 56 et in libro *Documenta authentica facultatum et gratiarum spiritualium quas Congregationi SS. Redemptoris S. Sedes concessit...*, Regensburg 1903, 65 n. 53.

(45) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 161; GIROUILLE, o. c. 69.

(46) Documentum scriptum est a P. e Sabelli; S. Clemens m. p. subscriptionem suam apposuit.

(47) Transscriptio documenti hucusque inediti fit sec. photocopiam originalis, quae in Archivo nostro generali conservatur.

(48) In epistula ad P. em Giattini diei 3 XII 1803 S. Clemens dicit se « 7 dierum spatio » in Jestetten requievisse, antequam iter in urbem Wien aggressus fuerat. - MH VIII 129.

(49) Maxime hoc deducimus ex eo quod documentum expresse praesentatur ut complementum documenti diei 14 IX 1803; insuper documentum scriptum est a P. e Sabelli qui, proficiente S. o Clemente in Poloniam, in Jestetten remansit. - Quidam archivista in margine folii originalis notavit: « 1803? ».

S. o. Clemente ex Jestetten in Wien et exinde in Poloniam profecto (50), iam sub fine anni 1803 et primis mensibus anni 1804 variae difficultates cum gubernio civili ortae sunt circa novam foundationem (51); praeterea communitas — mox quibusdam candidatis et noviciis aucta (52) — gravi inopia premebatur (53). Haec omnia P. Rector Passerat epistula mense iulio scripta Vicario generali exposuit (54), « qui eorum succursurus inopiae iter tam longum et difficile instituere non renuit » (55). - Litteris testimonialibus Ordinariatus varsaviensis diei 27 aug. 1804 munitus (56), cum candidato Aloisio Czech (57) « ultimis augusti diebus » e Warszawa discessit, et, variis negotiis in urbibus Dresden, Augsburg et Konstanz peractis, die 21 sept. feliciter ad montem Tabor revenit (58).

Negotiis circa novam foundationem in Triberg ad felicem exitum perductis, die 31 maii 1805 S. Clemens cum aliis quattuor Patribus ibi domum inchoavit (59). Insuper die 2 oct. a Principe Fugger admissionem Congregationis in Babenhausen obtinuit (60), et die 4 nov. approbatio huius foundationis ab Ordinariatu de Augsburg data est (61). Fine mensis oct. iam Patres a monte Tabor avocavit (62), qui die 7 nov. Jestetten — primum Congregationis collegium in Germania — penitus dereliquerunt (63) et die 14 nov. domum recens constructam in Babenhausen incolere coeperunt (64), quam domum tamen die 31 ian. 1806 cum alia commutaverunt (65). Etiam in Babenhausen P. Passerat Rectoris munia obiit (66); ea ipsa communitas erat quam prius in Jestetten rexit, et huiusmodi translatio iam in nominatione Rectoris diei 14 sept. 1803 praevisa fuit.

Post novem menses tamen, die 5 aug., territorium Babenhausen regno Bavariae annexum est et iam die insequenti Princeps Fugger monuit Patres,

(50) Fine mensis I 1804 S. Clemens cum P. e. Hübl in Warszawa revenit, ubi ambo per aliquot tempus aegroti decubuerunt. - MH VIII 130, XIV 98-99; HOFER, o. c. 165-166.

(51) Cfr MH V 35 ss.

(52) Cfr MH V 48-49 et VI 162.

(53) « Prout habitatio, ita et reliqua omnia misera et vilia erant », ita P. Czech in sua *Relatione*. - MH VI 158.

(54) « Initio mensis augusti 1804 Servus Dei urgentes a P. e. Passerat acceperat litteras », ita P. Czech in sua *Relatione*. MH VI 157. - Haec epistula non est conservata.

(55) P. Czech in sua *Relatione*. - MH VI 158.

(56) MH XV 118 n. 2.

(57) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 2 (1954) n. 32 et 4 (1956) 497 n. 42.

(58) De itinere P. Czech refert in sua *Relatione*. MH VI 158. - Cfr MH VI 162.

(59) MH VI 158 et 162. - Cfr *Spic. hist.* 3 (1955) 425-426.

(60) MH VI 7 n. 6.

(61) MH VI 11 n. 12.

(62) MH VI 164: « Oct 25.^a Vic. gen. litteras misit ». - Proc. Beatif. P. is Passerat. *Positio super Introductione Causae*, Romae 1901, *Summarium* II 15 § 23: « La lettre du Vic. gén. était arrivée à Jestetten le 25 oct. » - HOFER, o. c. 175: « Am 25. Okt. brach Passerat mit seiner mehr als 20 Mann starken Schar auf » - P. Czech in sua *Relatione*, MH VI 159: « Exeunte nov. 1805 omnes sacerdotes et clericos ex monte Tabor vocavit ».

(63) Ita in MH V 57. - *Summarium l. c.*: « Le 4 nov. la communauté toute entière était transplantée ».

(64) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 165.

(65) *Ibidem*.

(66) MH VI 165; GIROUILLE, o. c. 88; *Summarium cit.* II 16 § 29 et 142 § 104.

ut de futuro prospicerent (67). S. Clemens, in Poloniam redire coactus, hoc relinquere debuit P.i Passerat, in cura animarum occupatissimo (68), quando die 18 aug. cum candidato Martino Stark (69) iter in Wien aggressus est (70), ubi etiam P. Hübl paulo post ex Warszawa advenit (71). Biographi tam S.i Clementis quam P.is Passerat narrant de modo commoventi huius discessus (72), et quamquam documenta coeva desunt, supponi licet, Vicarium generalem discedentem Patribus obedientiam erga Rectorem et unitatem cum eo serio commendavisse, simulque P.i Passerat amplas facultates dedisse agendi secundum ea quae temporis adiuncta exigent, voce confirmans eas quas iam an. 1803 scripto communicaverat.

Die 15 sept. 1806 publica potestas in Babenhausen commissario Regis Bavariae tradita est (73), et post duos dies Patribus indictum est, eos ex Babenhausen exire debere; « die vero sequenti duo menses dilationis concessi sunt » (74). Tempus non erat perdendum. Statim P. Passerat de his certiore fecit S. Clementem, quaerens, quid in casu expulsionis faciendum sit, et suggerens Helvetiam tamquam unicam regionem quae foundationis praebeat possibilitatem (75). Die 4 oct. Vicarius generalis ei litteras responsorias dedit, « quibus in Helvetia asylum quaerendum esse praescripsit » (76).

Die 6 oct. P. Passerat rogavit ab Antonio Nigg, Vicario generali de Augsburg, litteras commendaticias pro Helvetia (77) et die 9 oct. cum clerico Martino Schöllhorn (78) iter in Helvetiam suscepit, ut suis domicilium procuraret (79). In urbe Chur, negotiationibus institutis cum Cancellario Ioanne Baal, petitionem Ordinario praesentavit, ut Patres, ex Babenhausen emigrare coacti, « per aliquot temporis spatium commorari » possent in dioecesi (80). Die 27 oct. in Babenhausen reverso (81), die 5 nov. Cancellarius Baal nuntiavit conventum S. Lucii in Chur ad tempus ei cedi posse (82); P. Passerat hanc epistolam die 17 nov. accepit et eodem die Cancellario

(67) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 166. - Cfr MH VI 24.

(68) « C'est toujours une calamité dans le monde que d'avoir trop à faire ... Le P. Passerat est tellement occupé que je ne peux même pas lui parler; il croit que c'est le plus grand mérite que de rester jour et nuit dans le confessionnal ». S. Clemens in epistula ad P.em Hübl, ex Babenhausen 7 VIII 1806. - MH VI 27-28.

(69) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 2 (1954) 273 n. 157.

(70) MH VI 27 et 166. - HOFER, o. c. 194 (erronee): « Wohl noch in der ersten Hälfte des August begab sich Hofbauer auf der Reise nach Wien ».

(71) HOFER, o. c. 196. - Cfr MH VIII 227 ss.

(72) *Summarium cit.* II 142-143 § 105; GIROUILLE, o. c. 97; HOFER, o. c. 194.

(73) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 166. - Cfr MH VIII 159.

(74) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 166-167.

(75) MH VIII 160.

(76) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 167; GIROUILLE, o. c. 99-100.

(77) MH VI 31 n. 30. - Cfr VI 68 n. 56 et XIV 158 n. 281.

(78) Notitiae biographicae in *Spic. hist.* 4 (1956) 281 not. 1.

(79) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 167; GIROUILLE, o. c. 100.

(80) MH VI 67 n. 52.

(81) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 167; GIROUILLE, o. c. 105.

(82) MH VI 71 n. 58.

gratias egit (83), simulque S. Clementem de felici exitu certiozem fecit (84). Post dies 10, i. e. die 27 nov., denuo in urbem Chur profectus est (85), ubi die 9 dec. cum Cancellario pactionem iniiit de nova fundatione in conventu S. Lucii (86), nisus facultatibus sibi a Vicario generali die 14 sept. 1803 concessis; quae facultates epistula S. i Clementis diei 12 dec. copiose confirmatae sunt (87):

« Ich übergebe dem P. Rector Joseph Passerat alle nöthige Vollmacht zur Übernahme des Klösterchens S. Lucii und zu allen Verhandlungen, die dabey bey der höheren geistlichen Behörde zu verrichten nöthig seyn sollten, sowie auch zur Etabilirung des Seminarii, wenn dies das Verlangen des hochwürd. Ordinariates seyn sollte. Und alles, was er verhandelt und beschloss und eingegangen und angeordnet haben wird, sehe ich an so, als wenn ich selbst es gethan hätte, da ich der jetzigen Zeitumstände wegen selbst unmöglich deselbst anwesend seyn kann, zugleich aber auch ein volles Vertrauen auf die Fähigkeit und Tauglichkeit desselben für gegenwärtiges Geschäft setze ».

P. Passerat, qui concluso negotio in Babenhausen reversus fuerat, die 5 ian. 1807 definitive in urbem Chur profectus est (88) cum novicio Aloisio Czech, et ibi die 10 ian. pervenit (89), postquam P. em Iosephum Hofbauer Vice-Rectorem constituerat (90). Ultimi Congregati Babenhausen dereliquerunt (91) die 12 febr. et die 19 eiusdem mensis in Chur advenerunt (92). - Fundatio, tanta spe an. 1803 in Germania inchoata, adversis temporibus transferri debuit in Helvetiam; post quattuor annos laborum et dolorum Congregatio in Germania extincta fuit.

Etiam in Chur P. Passerat Rector remansit virtute nominationis diei 14 sept. 1803, quia nova domus non erat alia quam ea quae prius in Babenhausen et antehac in Jestetten exstiterat, et facultates a Vicario generali ei datas in vigore permanserunt. In omnibus rebus maioris momenti tamen omnino a verbo superioris dependere voluit, et fine mensis ian., minutam dans descriptionem novae habitationis et status rerum, quasdam sibi directivas a S. o Clemente expostulavit: « Je vous prie de me marquer la manière de me conduire quant aux cérémonies de l'église et au nombre des étudiants » (93), et in epistula diei 12 aug.: « Je demande plusieurs dispenses sur différents

(83) MH VI 72 n. 59. - In *Chronica Domus Frib.*, MH VI 167, dicitur epistolam Cancellarii in Babenhausen advenisse die 19 XI et responsum datum esse die 20 XI; certo erronee, quia die 17 XI P. Passerat responsum dedit.

(84) P. Passerat copiam epistolae Cancellarii S. o Clementi misit. - MH VI 76.

(85) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 167.

(86) MH VI 74-76 n. 61.

(87) MH VI 76-78 n. 62.

(88) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 168.

(89) Cfr MH VI 82.

(90) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 168.

(91) Cfr statum personalem Collegii in Babenhausen tempore dissolutionis in MH VI 45 n. 37.

(92) *Chronica Domus Friburgensis* in MH VI 170; GIROUILLE, o. c. 113.

(93) MH VI 84.

points que je ne puis observer ici, avant qu'il soit discussion ou colère à cet égard » (94). Iam antea litteras dimissoriales pro quibusdam iunioribus clericis ad Ordines promovendis a Vicario generali postulaverat, qui respondit die 3 sept. remittens ad facultatem communicatam mense nov. 1803: « Mitto tibi hic dimissoriaalia desiderata, sed dixi et scripsi tibi, quod habeas facultatem mittendi ad Ordines et in nomine meo dare dimissoriales et ad omnia quod desiderat bonum gubernium tuorum filiorum; et licere accipere studiosos. ... Etiam habeas formulam privilegii mihi datam a Summo Pontifice dare dimissoriales. In Nuntiatura Lucernensi etiam est copia et si indigeres Curiae, certe daret tibi Excell. Dominus Nuntius copiam » (95). In epistula diei 7 dec. 1807 P. Passerat dixit sese meminisse de collatione huius facultatis: « Deux autres prêtres seront promus en même temps, car j'ai un consentement tacite pour cela si non positif, car je me rappelle que le P. R. m'a donné une puissance plénière pour cela » (96).

Ut autem regimini Congregationis in Helvetia apte provideret, eo quod recursus ad Warszawa nimis tempus occuparet et epistulae pluries perirent in via, ac ita quidem ut P. Passerat omnes ordinationes secundum loci et temporis necessitates sine anxietate sua vel contradictione aliorum inire posset, mense oct. S. Clemens ei scripsit: « *Fac in omnibus sicut esses Vic. gen.; dabo tibi facultates omnes* » (97). Quod ex una parte demonstrat magnanimitatem S. i Clementis in regendo, prompti ad cedendam cuidam alio plenam suam potestatem in partem suorum subditorum, et ex altera parte redundat in magnam aestimationem virtutis et intelligentiae P. is Passerat, qui a tanto viro summa fiducia honorabatur.

(94) MH VIII 162.

(95) MH VI 52.

(96) MH VI 142. - Epistula non potest esse scripta die 7 X, quia ex textu patet eam scriptam esse post diem S. i Martini, scil. 11 XI. Supponimus indicationem mensis in originali fuisse *Xbre* (décembre) et a copista male interpretatam esse ut *mensem X* (octobre).

(97) MH VI 58. - Haec epistula tamen excepta est, nec in manus P. is Passerat pervenit. *Ibid.* 56.